

ac b. Aerae Misenensis canonicorum regularium principalium — super hoc fueritis requisiti aut aliquis vestrum fuerit requisitus — dominos praelatos iudices officiales commissarios delegatos subdelegatos ordinarios extraordinarios collegia capitula notarios et tabelliones publicos aliasque personas tam ecclesiasticas quam saeculares et loca alia per latorem praesentium vobis nominandos et nominanda personaliter accedatis seu unus vestrum accedat — eosque et eorum quemlibet auctoritate nostra moneatis et requiratis — eisque nihilominus et eorum cuilibet in virtute sanctae obedientiae et sub infrascriptis sententiarum poenis — mandetis —, quatinus infra duodecim dierum spatium post monitionem et requisitionem vestras huiusmodi eis seu eorum alteri factas immediate sequentium — iura instrumenta acta actitata litteras scripturas munimenta et privilegia quaecunque causam et causas huiusmodi continentes et continentia penes eos existentes seu existentia originaliter seu eorum vera transsumpta in eorum formis originalibus aut ex eorum notis et manualibus vel ex eorum originalibus huiusmodi in publicam formam redactas et redacta aut sigillis autenticis sigillatas et sigillata ita et taliter quod ipsis originalibus et transsumptis in Romana curia ac alibi in iudicio et extra valeat merito plenaria fides adhiberi nihil addendo minuendo aut mutando quod facti substantiam immutet et variet intellectum praefatis dominis praepositis et capitulis principalibus aut eorum procuratori vel nuntio sive praesentium exhibitori sine contradictione et difficultate — dent tradant libere et assignent ac extrahi et transsumi faciant et permittant nobis seu alteri — loco nostri surrogando auditori ad Romanam curiam deferendas et deferenda, satisfacto tamen illi primitus vel illis cui vel quibus satisfactio merito fuerit impendenda de eorum salariis competentibus. Si vero dicta iura litterae scripturae sive privilegia et munimenta huiusmodi per quoscunque detineantur abscondita, detentores ipsos ad tradendum ac habere scientes ad revelandum ea auctoritate nostra — per censuram ecclesiasticam — compellatis. Diem vero requisitionis et monitionis vestrarum huiusmodi atque formam et quanta fides dictis actis litteris scripturis iuribus et munimentis fuerit adhibenda et quicquid in praemissis feceritis nobis per vestras patentes litteras sive publicum instrumentum — remissis praesentibus — intimare curetis. Quod si forte praemissa —, prout ad vos ac alios omnes et singulos supradictos ac vestrum et eorum quemlibet pertinet —, non adimpleveritis vel adimpleverint seu adimpleverit ac mandatis et monitionibus nostris — non parueritis vel paruerint seu paruerit —, nos — canonica monitione praemissa — in singulos contradictores et rebelles — excommunicationis, in capitula et collegia — suspensionis a divinis et in ipsorum ac quorumcunque delinquentium ecclesias et monasteria interdicti sententias ferimus in his scriptis etc. Datum et actum Romae in domo habitationis nostrae — 1452 — indictione quintadecima die vero Veneris quinta mensis Maii etc.

Orig mit dem beschädigten Siegel an rother Schnur im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden.

No. 241. 1452. 11. Mai.

Fünf Cardinäle ertheilen denen, welche bussfertig die Thomaskirche an einer grossen Anzahl kirchlicher Festtage besuchen und sich gegen dieselbe mildthätig erweisen, für jeden Tag des Besuchs 100 Tage Ablass.

Georgius episcopus Prenestinus, Isidorus episcopus Sabinensis, Alfonsus tituli sanctorum quatuor coronatorum, Petrus tituli sancti Marci, Prosper sancti Georgii ad velum aureum miseratione divina sacrosanctae Romanae ecclesiae cardinales universis et singulis Christi fidelibus praesentes litteras inspecturis salutem in domino sempiternam. Splendor paternae gloriae etc. Cupientes igitur ut ecclesia sancti Thomae in Lipczk Merseburgensis diocesis congruis honoribus frequentetur fidelesque